



Universitätsbibliothek Paderborn

**Illustrissimi Domini Simonis De Fierlant, Hispaniarum Ac
Indiarum Catholico Regi, In Hispania Ac Belgio, A Concilio
Status, Brabantiae Cancellarii, Catholico Ab Affectu
Tractatus, Quo, Clarissime ...**

Fierlant, Simon de

Coloniæ Agrippinæ

§. 1. Quæ generatim in Novatoribus hujus odii in Scholasticos causa sit,
simulque innuitur, à quibus illud hæreditarium acceperint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37059

ET INFELIX CONCORDIA. 81

nostri Trium-Viri, & ea habent ad clamores latera, ut in confuso omnium murmure eorum voces distinctius audiuntur: verum quid faciant? imbelli agmen, quod à ratione non habet, à clamore subsidium petit, ne prorsus incerte videatur. Nec abs re erit, opinor, quos iisdem deinde manibus pugnatores videbimus, eodem nunc ore clamantes audire, ut de perfecta eorum similitudine non dubitemus, quorum & communia ad pugnandum arma, & communes ad vociferandum voces esse intelligemus.

§. I.

QVÆ GENERATIM IN NOVATORIBUS *hujus odii in Scholasticos causa sit, simulque innuitur, à quibus illud hereditarium acceperint.*

Nullam habet Bajo-Jansenismus fraudem tam subtilem, quam non perspiciant, detegantque Scholastici: his imputant Bajo-Janseniani quidquid clavis accepere dogmata..... Scholasticos ergo Theologos oderunt pessime, nihilque omittunt ad contumeliam & dehonorationem Theologorum pariter, & Theologiae Scholasticae; fastu satanico sugillantes rusticatatem, imperitiam, vanitatem, unde Ecclesiæ ipsi oborta sit caligo, mira fideique nota omnes propemodum oblitteratae..... & atrocior est corum accusatio, quæ

L

Schola-



82 TRIUM-VIRORUM VANA

Scholasticos Theologos reos agunt subversæ eversæque pænitentiæ, ex quo illi tempore nimirum varias quæstiones cœperunt agitare, paulatim in hæc subtilitates, & scholasticas contentiones Pænitentiæ rigor, & studium evanuit & ad pænitentiam Sacris Litteris præscriptam, Patribusque non incognitam à Scholasticorum doctrina provocant sed non alibi Bajo-Jansenistas videoas intemperatores in Scholasticos Theologos, quam ubi non dissimulant dolorem denavata ab illis opera ... Romanis Pontificibus de heresi judicantibus; jam dudum audivimus furiosissime debacchantes & Pii V. Gregorii XIII. Urbani VIII. & Alexandri VII. Constitutiones adversus Baji & Jansenii errores petulantissime imputantes Theologis, quos omnium pessimè oderunt; ô dolor disjecti fulmine jacent errores? operam contulere Scholastici Theologi: en crimen en causa. At quæ hæc, inquies, describendi libido est? nam hæc quidem hactenus omnia mutatis solis nominibus ipsissima sunt verba Francisci Simonis S. T. L. neque hæc ipse de Bajo-Jansenistis, sed de Hæreticis scribit, quorum hanc fraudem parte 3. pluribus persequitur, qua eos ait Theogiam & Scholasticos Theologos, ut pessimè de se meritos, vexare ac dehonorare, quoad possunt. Ita profecto est; verba ipsius sunt, & ut talia diverso charactere impressa vides; verum, ita me superi ament, quidquid ille tum ibi, tum alibi de hæreticorum fraudibis eruditè disputat, ita aptè, ita bellè in hos homines cadit, ut qui iisdem cum eo verbis, codem

ET INFELIX CONCORDIA. 83

codem ordine omnes Bajo-Jansenistarum fraudes detegere voluerit, mutare quidem præter nomina necesse habeat nihil. Unde id fiat & quo demum fato, invidiosum fortasse sit scribere, & manifestius est, quam ut dicatur: nunc quod agimus videamus.

§. 2.

SPECIATIM TRIVM-VIRORVM
nostrorum & Macarii in primis in Scholasticos odii specimina aliquot ex eorum Libris adducuntur.

AViro eximio sumamus initium; nam quid ipse, aut in sua illa præclara Methodo, aut in Thesibus suis prætermittit, quod ad Scholasticorum, Casuistarum, Probabilistarum &c. invidiam facere possit? Imo non alia profecto de causa 65. Propositiones longioribus Thesibus expendere creditur, quam ut amplum sibi aperiat campum, quo latius & spatioius per omnes Casuistarum libros effuso impetu vagetur; & in methodo quidem nil nisi sacrilegia & sacrilegos adversariæ partis Confessarios sonat; in Thesibus calamitates Theologiæ omnes Scholasticis & Probabilistis acceptas passim refert; & cogitaveram hic selecta quædam ex pluribus specimina in medium proferre; sed audio id alium meditari, nec jejunam adeo

L 2

hoc